

tibi, et contemplabor te. Et iterum per prophetam loquitur Dominus: Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Eamus et revertamur ad Dominum Deum nostrum. Recedente item sole, ac die cessante, necessario rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus, et dies est verus, sole ac die saeculi recedente, quando oramus et petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum lucis aeternae gratiam praebitum. Christum autem diem dictum declarat in psalmis Spiritus Sanctus: Lapis, inquit, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factus est iste, et est admirabilis in oculis nostris. Iste est dies, quem fecit Dominus, ambulemus et jucundemur in eo. Item quod sol appellatus sit, Malachias propheta testatur, dicens: Vobis autem, qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiae et in alis ejus curatio est. Quod si in scripturis sanctis sol verus et dies verus est Christus, hora nulla à christianis excipitur, quo minus frequenter ac semper Deus debeat adorari; ut qui in Christo, hoc est, in sole et in die verò sumus; insistamus per totum diem precibus et oremus, et quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox revoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filii lucis et in noctibus dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? Aut quando sol ei et dies non est, cui sol et dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus. Sic Anna vidua sine intermissione rogans semper et vigilans, perseverabat in promerendo Deo, sicut in Evangelio scriptum est: Non recedebat, inquit, de templo, jejuniis et orationibus serviens nocte ac die. Viderint vel gentiles, qui neendum illuminati sunt, vel Judaei, qui deserto lumine, in tenebris remanserunt. Nos, fratres dilectissimi, qui in Domini luce